

retis, vt tuto et libere in medium vestri veniat, et se coram vobis et Bano nostro de his, que contra ipsum obiciuntur, expurget; prouideatis tamen, ne sub confidencia huiusmodi securitatis ipse Georgius aliquos ex nostris Regnicolis offendat, vel aliquod scandalum faciat. Nam si hoc faceret, extunc nolumus sibi hanc datam securitatem in aliquo suffragari. Presentibus perlectis exhibenti restituti. Datum Bude feria secunda proxima post festum beati Blasii Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo nono.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 81.

CLXIV.

Anno 1499. feria 4. post festum Resurrectionis Domini. Budae.

Vladislaus Rex slavonica subsidia et pecunias mardurinales non pro suo privato commodo, sed tam pro Regno Hungariae quam etiam Slavoniae, et potissimum pro solutione Banorum et pro conservandis finitimis castris istius Regni exigere velle se litteris his declarat.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Egregii et Nobiles fideles nobis dilecti. Ex responso vestro, quod fidelibus nostris Venerabili Thome Preposito ac Egregio Nicolao Zekel, Capitaneo Aulicorum nostrorum, quos his diebus ad vos miseramus, dedistis, intelleximus. Qualiter vos pro leuandis presentibus necessitatibus nostris, ac huius et illius Regni nostri, pro subsidio viginti quinque denarios et pecunias Mardurinales, que ex debito nobis de illo Regno prouenire debent, nobis dare et extradare obtulistis. Quod nobis gratum exstitit, et vobis ob id gracias etiam haberemus singulares. Verum tamen accepimus, quod licet hoc modo predictos quadragintaquinque denarios nobis obtuleritis, tamen huiusmodi pecunias non simul et semel, sed in diuersis terminis extradare velletis, quod, quia incommodum et nocium nobis foret, per hos homines nostros, presencium scilicet ostensores, quos cum certa et sufficienti, plenaque informacione, ac voluntate nostra ad vos misimus, lacius et apercius vobis significauimus et intimauius. Quare requirimus fidelitates vestras, et rogamus, nichilominus eisdem committimus, quatenus acceptis presentibus, iuxta declaracionem istorum hominum nostrorum, prout ab eis clarius intelligetis, istas pecunias iam